

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

ANGELIS.

Quam,

Deo clementer annuente,

IN ILLUSTR

CHRISTIAN - ALBERTINA,

PRÆSIDE

Admodum Reverendò & Amplissimò

VIRO,

DN. CHRISTIANO Kortholt/

S. Theol. D. & Professore Primario,

Dn. Præceptore & Fautore plurimùm

Colendo,

publicè ventilandam exhibet,

ad diem XXX Octobr.

FRIDERICUS RUNGIUS,

Holfatus.

KILONI,

Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

clò lbc LXXVIII.



Illustri ac Generosissimo
DOMINO

D N. JOACHIMO
ab **ALEFELD**

Incluti Cænobii, quod Prezæ est, celeberrimo
PRÆPOSITO

Dn. Hæreditario in Bockhagen

nec non

Cæteris omnibus ad Cænobium illud
pertinentibus,

Patronis suis ac Promotoribus
omni observantiæ cultu
prosequendis,

ut &

Dn. M. PETRO RUNGIO

Pastori Gettorpiensium fidelissimo.


Dn. Parenti suo æternùm devenerando,


eâ, quâ par est, animi
submission

Disputationem hanc Theologicam in
sui, studiorumque suorum
commendationem

consecrat

RESPONDENS.





I. N. J.

DE

ANGELIS

EXERCITATIO THEOLOGICA.

POSITIO I.

Dantur omnino Angeli, qui peculiare sunt substantiæ,

§. 1.

DE Sadduceis notum est quid facer Codex memoret Act. xxiii, 8. *Sadducei dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Ad quem locum Beza: *Ne nunc quidem desunt inter Judeos, quos non pudeat dicere, Angelos esse motus quosdam naturales, Dei jussu vel bona vel mala effecta producentes: quod non procul abest à Socratis demonio.* Et utinam nec inter eos, qui Christiani audire volunt, essent quos similia delirare non puderet! De Anabaptistis suæ ætatis refert Chemnitius, Loc. Theolog. parte 1, p. m. 122. quod docuerint, *non esse peculiare creaturas qua vocentur Angeli: sed si quando DEUS exserat suam potentiam ad nocendum vel puniendum, hoc vocari ita malam Angelum; & contra bonum appellari, si quando DEUS nos custodiat vel conseruet.* De Libertinis idem testatur Calvinus libri contra ipsos editi cap. xi. & xii. Neque aliter sensisse famosum illum impostorem, Davidem Georgium, ex Mirabil. parte 1, cap. xxvi, & parte II, cap. xxvii. seqq.

seqq. aliisque ejus scriptis liquet. An quoque eodem non tendant, quæ, præfatus in suum de Hæmorrhagia librum, Joh. Sophronius Kozak disputat, prudens lector arbitretur. Sanè verba Apostolica Ephes. vi, 12. ad Medicos, morborum domitores, referre, quod ille facit, hætenus in Ecclesia scholisque Christianis inauditum est: uti non minus inauditi sunt conatus notissimi illius religionis Christianæ irrisoris, qui in corrupendis Scripturæ S. locis, quæ de Angelis agunt, (perinde ut in aliis innumeris) artificem se cumprimis præstat, in monstroso suo Leviathan, Thomæ Hobbes, Angli.

§. 2. Sed quidquid tracentur, quidquid nugentur profani isti & temerarii disputatores, Angelos dari tam diferte & toties facer inculcat Codex, (sumpta voce, ut substantias notat intelligentes) ut, v. g. Pl. xci, II. Pl. civ, 4. Math. iv, 6. II. XII, 39. Hebr. i, ult. ut a nemine, qui quidem divinam Scripturæ auctoritatem agnoscit, serio in dubium id possit vocari. Sed & ope luminis naturæ id satis probabiliter ex multis effectis colligitur, qui a corporibus seu causa corporea proficisci nequeunt. Ita quod energumeni & arreptitii variis sæpe linguis loquantur, quum idioræ alias sint, aliaque edant miranda, id ab Angelis utique est. Etenim cum DEUS hæc in iis non operetur (mentiri quippe simul & blasphemare deprehenduntur) a demonibus fiant oportet. Tametsi istiusmodi argumenta pro demonstrativis haberi non possint.

POSITIO II.

Angeli sunt substantiæ simplices completæ intelligentes, creatæ in sapientia, Justitia, & sanctitate, ut Deum laudarent, ejus jussa exequerentur, & æterna beatitudine fruerentur.

§. I. Du-

§. 1. Dupliciter aliquid dici potest simplex, (1) ut omnem omnino compositionem realem excludat: quomodo solus DEUS simplex est, ut qui neque ex materia & forma, neque ex partibus quantitativis, membrisque corporeis, neque ex subjecto & accidentibus, neque ulla alia ratione componitur. (2) ut excludatur illa solum compositio quæ ex partibus essentialibus est, materia scilicet ac forma, & integumentibus, partibusque quantitativis. Dum itaque Angeli substantiæ dicuntur simplices, *70 simplex* non priori, sed posteriori sensu capitur. Quod enim attinet ad compositionem ex subjecto & accidentibus, eam in Angelos cadere certum est, de compositione ex natura & supposito, tamquam ex realiter distinctis, ut nihil nunc dicamus.

§. 2. Quod igitur Origenes, Tertullianus, Lactantius, aliique Patres nonnulli, tum quoque Scholastici Doctores, Bonaventura, Richardus, Aureolus, Capreolus, sed & Facius ac Hieronymus Cardani, & alii quidam recentiores, corpora Angelis tribuunt, error sine dubio est. Nam (1) Scriptura S. Angelos diferte *spiritus* vocat, Matth. ix, 10. Hebr. i, 14. alibique passim. Tamen si autem vox *spiritus* tum in Scriptura tum alias nonnumquam corpus subtile & tenue denotat, ut ventum, aërem, spiritum vitalem, animale, &c. quando tamen hoc vocabulum de vivente & intellectu prædita substantia absolute usurpatur, semper substantiam notat incorpoream s. omnis materiæ expertem. (2) si Angeli essent corporei, ob quantitatem suam nec se invicem, nec alia corpora possent penetrare. Quod contra experientiam est: qua docemur, posse Angelos in carcere undique clauso comparere, sui que exhibere præsentiam; Act. xii, 7. posse totam Angelorum legionem in uno corpore subsistere; Luc. ix, 30.

§. 3. Porro in tradita Angelorum descriptione diximus, quod substantiæ sint *complexæ*. De quo itidem dubium esse non potest, nisi quis forsitan cum Origene velit statuere, Angelos esse animas corporibus sibi proportionatis naturaliter unitas: quod commentum est Origeniano ad quidvis fingendum proclivi ingenio dignum.

§. 4. Diximus amplius, Angelos substantias esse *intelligentes*. Ubi disquirere nolumus: an potentia intelligendi s. intellectus Angelorum realiter differat ab eorundem essentia? de quo controversatur inter Thomam & Scotum; item: an cognitio Angelorum ipsa eorum sit essentia? quod Aristoteles voluit, num vero accidens, actusque realiter productus? ut statuunt cum Thoma Scholastici plerique. Solum de objecto cognitionis Angelorum, ut talium, pauca dicemus.

§. 5. Itaque primo Angeli tum seipso, tum Angelos alios, cognitione intuitiva cognoscunt, Deum vero abstractiva. Dicitur autem cognitio *abstractiva*, qua objectum, non se ipso, sed in alio, seu, qua non per propriam, sed per alterius rei speciem cognoscitur; *intuitiva* autem, qua objectum clarè & distinctè in seipso, non vocata in subsidium alterius rei specie, a potentia cognoscitur.

§. 6. Ulterius etiam futura certa ratione cognoscunt Angeli. Nimirum quod ad futura attinet *necessaria*, seu quæ ex causis dependent necessariis & naturaliter agentibus, ea cognosci ab Angelis posse nullum est dubium; cum & homo talia possit præscire. Tametsi illa cognitio non sit prorsus infallibilis. Cum enim futura quævis, etiam necessaria, a concursu Dei dependeant, is vero concursus suum pro arbitrio suspendere possit, adeoq; quo minus etiam ea, quæ ex causis dependent naturalibus, fieri queant,

pro-

prohibere, hinc ne Angelicus quidem intellectus infallibiliter futura necessaria præscire potest, quia ignotum ipsi est, an non Deus concursus suum sit suspensus. Futura autem contingentia Angeli non præsciunt, nisi vel conjectando illa assecuti sint, vel ex revelatione Dei acceperint, vel etiam futura ista ejusmodi sint, quæ ipsimet Angeli sunt facturæ.

§. 7. Et hæc quidem intelligenda sunt de cognitione omnibus Angelis communi, ac hodie etiamnum cunctis iis competente: Præter quam concreata ipsis fuit *sapientia*, quæ longe plura cognoverunt & sublimiora, quàm quæ intellectus Angelicus, prout omnibus Angelis hodieque est communis, assequi valet: sicuti concreatæ Voluntatis Angelicæ perfectioni acceptum, ferendum, quod in primo suo statu liberum per omnia arbitrium habuerunt cuncti ad bonum & malum, sic ut Deum super omnia diligere, & ab omnibus omnino peccatis potuerint abstinere.

POSITIO III.

Angelos ut una cum ceteris creaturis intra creationis *Ἐξ ἀρχῆς* a Deo esse productos non dubitamus: ita, quo præcise die sint conditi, incertum est.

§. 1. Non a seipsis extitisse Angelos, sed a Deo fuisse conditos, clare Scriptura docet Pl. civ, 4. xxxiii, 6. cxlvi, 6. Coloss, 1, 16. Quando a. sint producti, non æque est liquidum; variantque heic sententiæ. Origenes, Gregorius Naz: Chrysostomus, Basilius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Cassianus, Damascenus, diu ante mundum creatos illos esse statuunt: contra Epiphanius, Theodoritus, Gregorius M. Beda, Lombardus, huncque secuti Doctores Scholastici, una cum hoc mundo visibili productos fuisse asserunt.

asserunt. Atque hæc posterior sententia sine dubio vera est. Etenim ante mundum hunc fuisse, & extitisse ab æterno, stylo Scripturæ S. unum idemque est. Vide Ps. xc, 2. Proverb. iix, 22. Joh. xvii, 5. Ephes. i, 4. 1. Pet. i, 20. Jam vero solus DEUS ab æterno est, eadem Scriptura passim inculcante. Quod autem qui posteriori loco producti a nobis sunt auctores, primo præcise creationis die Angelos a Deo fuisse conditos, ex Gen. i, 3. conantur evincere, per lucem scil. ibi intelligendam esse dicentes, non lucem dumtaxat corpoream, sed & Angelos; id parum habet roboris. Præstatque *ἐπεχειν*, quam de die creationis Angelorum certi quid velle determinare.

POSITIO IV.

Angeli sunt vel boni, vel mali. Illi, qui in concreata Justitia & sanctitate perseverantes, in bono confirmati sunt: isti, qui, a prima sui origine postquam defecerunt, abjecti sunt a facie Dei.

§. 1. Peccasse Angelos quosdam, clare sacer docet Codex, Johann. iix, 44. & Joh. ii, 8. Epist. Judæ comm. 6. suntque illi, qui appellantur *spiritus improbi & mali*, Act. xix, 12. 13. *spiritus immundi*, Luc. xi, 24. *spiritus deceptores*, 1. Tim. iv, 1. *Principes tenebrarum*, ac *spirituales improbitates, quæ sunt in sublimi*, Ephes. vi, 12. & quorum magnam esse multitudinem, dubitare non sinit inprimis locus manifestus Luc. iix, 30. ubi integra dæmonum legio in unum hominem ingressa dicitur. Conf. Apoc. xii, 4.

§. 2. Ceterum quodnam primum Diaboli peccatum fuerit, de eo non ita liquido constat, Tertullianus & Origenes, per Intemperantiam eum esse lapsum putant; verum

rūm nixi fundamēto admodum lubrico, imo planē falso, quasi nimirum Gen. vi, 2. de Angelis ageretur. Augustinus, Superbiam primum fuisse malorum Angelorum peccatum, arbitratur: cujus sententiam Scholastici Dd. communiter sequuntur. Sed neque hæc opinio ex Scripturæ testimoniis, quæ pro ea solent produci, firmiter probari potest. Locus enim Is. xiv, 12. *Quomodo cecidisti de celo, Lucifer? qui in hac causa præcipuus est, non de Diabolo, sed Chaldæorum Rege agit. Videatur Dn. D. Franzii Tractatus de Interpretatione Scripturæ, orac. xciv. ubi inter alia hæc leguntur: Nuppiam Satanas cognomine istius stelle ornatur, & nuppiam dicitur in Scripturis Lucifer seu Hesperus. — Nemo autem, quod obiter adjicio, dubitet, Satanam delectari hoc LUCIFERI nomine; sicut superbum delectat appellatio Nobilium, ex quorum ipse tamen numero & censu non est. Sed hæc w̄s & n̄ p̄eḡd̄w.* Licet autem eo quod citavimus similibusque oraculis Propheticis, superbiam primum fuisse malorum Angelorum crimen, firmiter non adstruatur, sententia tamen ea præ ceteris probabilis est, quod hodieque Satanas est superbissimus, & a CHRISTO ipso adorationem postulavit, Matth. iv, 9. omnes quoque Paganos ad sui cultum instigavit semper, hodieque instigat.

POSITIO V.

Uti certos dari Angelorum Ordines, ex Scriptura S. certum est, sic Hierarchias illas, in quas Pontificii eosdem distinguunt, commentitias esse non dubitamus.

§. 1. Utrosque, tam bonos quam malos Angelos, in suos ordines distingui, ex diversitate colligitur, significata partim per diversa nomina, partim per ejusmodi de-

scriptiones, quæ Ordinem quendam necessario indicant. Vide Gen. iii, 24. Ezech. x, 1. Es. vi, 2. 1 Theff. iv, 16. Eph. 1, 2. Coloss. 1, 16. Luc. 11, 15. Qua vero ratione inter se differant proprie, mortalium neminem certo scire posse arbitramur.

§. 2. Equidem Pontificii Angelos bonos in tres Hierarchias, supremam, mediam, infimam, distinguunt, & in unaquaque earum iterum tres ordines s. choros diversos esse asserunt. Et quidem ad hierarchiam supremam Seraphinos referunt, Cherubinos, & Thronos; ad mediam, Dominations, Virtutes, ac Potestates; ad infimam denique Principatus, Archangelos, & Angelos. Atque his hierarchiis & ordinibus superstruunt diversa Angelorum officia: utpote quod Angeli supremæ hierarchiæ sint quasi Cubicularii & Adseffores Dei, per quos divinæ revelationes ad reliquos deriventur: quod Angeli hierarchiæ secundæ generale habeant regimen Ecclesiæ militantis, & ad illos executio eorum pertineat quæ ad universale bonum ejusdem Ecclesiæ spectant; quod denique Angeli infimæ hierarchiæ curam habeant eorum omnium quæ ad speciale regimen pertinent. Vide inter ceteros Becanum, opusc. de officiis Angelorum cap. 1. qui tamen ingenue fatetur ibidem, ex Scripturis talia probari non posse, sed a solis Patribus ea esse tradita, nominatim ex Dionysio Arcopagita, unde postmodum sua hauserint reliqui.

§. 3. Verumenimvero, cum Dionysium istum scriptorem esse supposititium, invictis argumentis dudum fuerit a viris eruditis ostensum, ejus auctoritatem parum heic curamus, longeque potiolem habemus rationem Scripturæ S. quod ex omnibus Angelis aliqui ad nos mittantur; Hebr. 1, 14. diserte asserentis: unde manifestum, non alios esse

esse qui Deo adsistunt, alios qui ministrant, sed omnes ei adsistere & ministrare. Verbo: ut multiplex Angelorum officium, tum in Ecclesia, tum in regnis & provinciis, tum in singulis hominibus custodiendis, ex sacro Codice agnoscimus: ita, quæ ex pseudo-Areopagita eam in rem traduntur specialia, pro suavis commentis habemus.

POSITIO VI.

Angeli non sunt religiose colendi.

§. 1. Pontificij Angelos adorandos esse censent, ita tamen, ut adorationem illam non λατρείαν, sed δαλείαν esse velint, Quæ tamen distinctio nauci est, nihilque malam ipsorum causam juvat. Etenim quod ad vocabula hæc attinet, mediæ illa significationis sunt, nec minus de civili quam religioso cultu apud profanos sacrosque auctores usurpantur. Vide Deut. xxix, 48. 1 Sam. vii, 3. Quod vero spectat ad rem ipsam, omnis cultus vel civilis est vel religiosus: neque medium nos agnoscimus, quippe quem comminiscitur pars adversa, nec ullo probare potest argumento idoneo.

§. 2. Cultus nimirum omnis consistit in apprehensione excellentiæ, & inclinatione voluntatis ad subjectionem. Apprehendimus autem excellentiam vel finitam vel infinitam; & subjicimus vel exteriora, in quæ creatura dominari potest, vel interiora, animum & spiritum, in quæ soli Deo competit dominium. Unde non nisi duplex esse potest cultus; alter civilis, consistens in apprehensione finitæ excellentiæ, & externa subjectione; alter religiosus, consistens in apprehensione excellentiæ infinitæ, & subjectione interna spirituali.

§. 3. Ac notari meretur, quod Pontificij, distinctionem aliquam religiosi cultus propugnantes, apertam committant

mittant petitionem ejus quod est in principio. Sumunt enim hoc quod in quaestione est, tanquam concessum, eique superstruunt diversos religiosæ adorationis gradus. Nempe si probatum esset, quod sanctis ob dona divinitus ipsis concessa cultus debeatur religiosus, tunc posset ex objectorum diversitate distinctio constitui inter cultum religiosum Deo ob perfectionem infinitam, & sanctis ob finita gratiæ dona debitum. At quia probari nequit ex Scripturis, quod religiosus cultus sanctis debeatur, manifestum est, distinctionem quoque inter λατρείαν & δουλείαν esse nullam, sed in meram principii petitionem rem omnem desinere. Ita, annon ineptus esset futurus, qui dicere vellet, triplicem dari cultum civilem; unum qui debeatur Regibus, alterum, qui hominibus inferioris conditionis, tertium, qui animalibus brutis; cum in quolibet horum aliqua sit perfectio; prius demonstratum ni fuerit, brutis cultum civilem quandam competere?

§. 4. Nos concludimus insigni loco Athanasii, ex oratione iii contra Arianianos: *Creatura creaturam non adorat: sed servus herum, & creatura Deum.* Petrus sane Apostolus (Act. x, 26.) Cornelium se adorare volentem prohibet dicens: *Et ego homo sum.* Angelus etiam Johannem in Apocalypsi (cap. xix. & xxii) adorare volentem prohibet dicens: *Vide ne feceris. — Conserve tuus sum. — Deum adora. Annon igitur solius DEI est adorari?*

FINIS.